Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes seruient ei.

Quia liberabit pauperem á potente, et pauperem cui non erat adiutor.

Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum saluas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum: et honorabile nomen eorum coram illo.

Et uiuet et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra, in Summis montium, super extolletur super Libanum fructus eius: et florebunt de ciuitate sicut foenum terræ.

Sit nomen eius benedictum in secula: ante solem permanet nomen eius.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dns Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, et replebitur maiestate eius omnis terra fiat, fiat.